34.7.B.23

DE CALIDI POTVS APVD VETERES VSV

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. IO. ANTONIVM ABBATEM FACHENETVM,

PROTONOT. APOSTOL. ETC.

PIERI CASSIANI

Epiſtola.

Aſcanii Perſij



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BONONIAE,

Apud Victorium Benatium. *M.D.CVI.*

Superiorum permiſſu.

Illuſtriſſime Mæcenas.

MIHI verò pergratum legiſſe te, nuper editas Obſeruationes in Criticos. vt enim video, in iſto negotiorũ ἀλλεπαλλήλων ἄϑλῳ, a quo ſtudijs ego tuis valde timebam, litteratum otium minime deſideras. Quòd autem meum de obſeruationibus ijs iudicium exquiris, egó ne noctuas Athenas? qui te norim haud purum putum iuriſconſultum, ſed multiiuga inſtructum eruditione. præſertim ea, quæ criticos in primis decet; iudicij vero laude cum pauciſſimis conferam: vt, ſi tui ſimiles noſtro hoc æuo compluſculos haberet Italia, falſam omninò profiteri poſſem querellam illam tuam, cùm tu humaniores muſas videre te hinc aliò commigrantes diceres, atq; ingemiſceres, vt frontem ferires. Sed ludis ne tu me, dum earum auctorem obſeruationum ais, in eo capite, vbi in Lipſiũ inquirit, de thermopoſia veterum ſcribentem, Auctorem illum noſtrum libelli de calido potu (qui quidem propediem & plenior multò, & elegantior; nec Italicus ſolum, ſed & Latinus, edetur) ita vellicare, vt mihi, qui pro eo, dum ipſe, grauioribus abditus litteris, iſtorum morſiunculis nihil commouetur, aliquando ſteti, bilem nunc etiam in naſum concire poſſit, atque adeo negotium videatur faceſſere? Mihi verò ille negotiũ? qui in hoc ipſo capite, quàm multa, bone Deus, quàm magna peccat, dũ aliorũ ſe peccata retegere profitetur. Primùm enim magno auctoritatum apparatu ex auctoribus veteribus cõquiſitarum oſtendere conatur, apud veteres ipſos in vſu gelidam fuiſſe potionem: quaſi id non planiſſimè affirmarit Lipſius verbis illis: Duplicis aquæ mẽtio in cœnis Romanis, frigidæ, calidę. & frigidam ad potum fuiſſe, clarum eſt: de calida non nemo nuper in me pugnauit: *Quaſi non id diſertè auctor libri de calido potu, in eo ipſo libro de calido potu, fuerit confeſſus. quaſi non idẽ ego poſtea in illa mea (vt tute ſcis) diſſertatiuncula repetierim. addo &, quaſi non id ipſum ipſemet multò antè per filium edito Italico illo ſyntagmate, litterarum etiam profanos monuerit. & tamen crambẽ hãc non pudet nobis apponere recoctam. An vero ſe id Maſini medici cauſſa feciſſe dicet? at quid illo iure aperta reprehenſo erat opus, præſertim in hoc libro, qui in Criticos ſcribitur, non in medicos? Nunc videamus deinceps quàm ſibi in hoc capite conſtet. Primum negat ſe de hoc frigidi potus vſu ſcripturum fuiſſe, niſi coarguere conſtituiſſet eos, qui ipſum veteribus adimebant. negat autem,* ne ſeculi, *ait,* noſtri luxuriam incitare videretur. quod enim exẽplo fit, id iure fieri videtur. *Dein, quaſi oblitus propoſiti, frigidæ potionis non ſolũ perantiquum eſſe vſum (quod*

ſatis

ſatis habere debebat) ſed etiam nō inſalubrē, ſe ſe oſtenſurum pollicetur. At ſi non inſalubris, hoc eſt & ſalubris, & multo ſalubrior, quàm calida vſus (ſic enim è commemorato filij ſyntagmate interpretari licet) ideòq. vtilis, quid erat ergo ꝙ de luxuria metueret? vbi.n. vera ſalubritas, atq; vtilitas, ibi nulla eſt luxuria; aut, ſi qua eſt, ſatis vtilitate defenditur. Sed magna veri uis eſt. diſſimulare non potuit luxuriā in gelido ineſſe potu, & quidē noſtri æui hominibus cauendam. Quam ſi vltro confitetur, quo igitur ore, aut qua de cauſſa hunc potū laudat, ſi quidē, hoc dum agit, luxuriam huius ſeculi, quantum quidem in ipſo eſt, ſatis ſuperq. incitat? Nū poteſt euadere, quin aut nobis detrahēdi, aut potius alijs placendi ſtudio huiuſmodi cōmendaſſe potū videatur? qui, vt gratiā a delicatis ineat, quod ipſis pergratum eſſe nouit, id quo iure, quaque iniuria tueatur, ac laudet. poſſim hunc ego & alio nomine detractionis apud te deferre, prolatis tantummodo ex hoc eius capite verbis illis: Sed quando a Iuſto Lipſio viro eruditiſsimo de calida potione, veterum ſcriptorū ſententiæ in medium prolatæ occaſionē quibuſdam libros ſuper eiuſdē rei vſu, vtilitate, ac voluptate conſcribendi, frigidæq; potionis damnandæ præbuerunt, faciendū mihi putaui, &c. *Non enim hanc auctori ipſi libelli de calido potu, ſed longe aliā ſcribendi eius fuiſſe occaſionem, præfatio ipſa ſatis docet. Sed non dum peccandi finis. Cùm hic duo (vt diximus) ſe receperit oſtenſurum, & frigidam, ſcilicet, potionem apud veteres in vſu, ac delicijs fuiſſe; & eādem eſse ſalubrem; prius quidem illud, quod facile erat probatu, ad ſatietatem perſequitur. alterum verò? rogas? a Galeno ipſo probari ait. ad libros eius* lectorem reijcit: *quaſi nihil antea de Galeni ſuper hac re ſententia, quonā ſcilicet modo accipienda ea ſit, a nobis fuerit diſputatum. Itaque onus hoc probandi, a ſe ſine cauſſa ſuſceptum, hoc belliſſimo inuento amolitur; oblitus ſcilicet pœnæ, qua plecti volebat, niſi vtrumq; oſtendiſſet; nempe, vt exiſtimaret eum lector* operam tot annos fruſtra litteris dediſſe. *Verū ſe ipſe purgat. nolle, ait, de hoc diſputare,* ne modum ſcriptio excedat. *Imprudentem verò hominē, qui hoc fore non potuerit prouidere antequā quidquam promitteret: aut fatuum, qui promiſſi verba neſciuerit delere, antequam librum ederet. Sed hic Criticomaſtix, qui Lipſio impingit dicam, quòd ille interdum ea,* quæ ad rem minus faciunt, coaceruet, *vide, quæſo, an vllam ſibi hoc eodē nomine pęnam arceſſat. Quid enim iſti, amabo, ad probandum gelidi potus vſum veterē ſuffragātur Horatij illa, quæ adhunc finem affert? nimirum* quis puer ocyus Reſtinguet ardentis falerni Pocula prætereunte lympha? *quibus verbis interpretationis ergò, hæc ſubdit:* Quæritur enim aqua frigida ad vini generoſi reprimendū ardorem, merumq; diluēdum. *Vt enim omittā,*

hoc in loco, ardorem falerni, auctoribus viris eruditis, non calorem vini, ſed colorem, flammæ inſtar rutilantem, ſignificare videri, præſertim cùm & Iuuenalis eo ſignificatu ardendi vocabulũ vſurpet ſatyra 10. *in illis verbis* — & lato ſetinum ardebit in auro: *Setina autẽ, & Falerna vina olim nec locorum ſitu, nec pretio, nec colore ſaturo illo, & ſcintillãte, vt nec hodie, valde diſſidebant: vt, inquam, hoc omittam, atq; illi dem, ardorem hic ſignificare calorem, quando & calidam aquã, ardentem vocauit Martialis:* Noſtra nec ardenti gemma feritur aqua; *adhuc non video quonam modo verba hæc homini faueant; Quæ dum pro ſe facere conatur oſtendere, dupliciter errat. Primum enim in ijs nulla frigiditatis mentio. Dein autem, fœda homonymia, cũ frigido actu, (vt verbis vtar, quæ in hac ipſa re diſtinguenda noſtrates vſurpant medici) frigidum potẽtia cõfundit. nam vinum generoſum aqua diluimus ad reprimendũ eius ardorem, quatenus aqua eſt frigida potentia (quo quidem modo aqua dicitur frigida, etiã illa, quę ſummè calet) non quatenus actu friget. Hoc enim actuale frigus, de quo vno diſputamus, vini ardorem, hoc eſt magnam illam, quæ inſita in vino eſt, calefaciendi vim, ne hilum quidem retundit. Sed nonne & Virgilianum illud,* Poculaq; inuentis Acheloia miſcuit vuis, *ad eundem ſenſum trahere audet? quaſi τὸ* Acheloia *frigidam hic actu ſignificet aquam, ac non pro quauis, ac quouis modo affecta, a poeta ſumatur. quòd ſi in propria etiam ſignificatione ſumas, videlicet pro fluuiali (ſi quidem flumen Achelous eſt) neq; fluuiales aquæ a frigiditate commendantur, immo & pleræq; earũ æſtate calent, quare & natantibus innoxiæ ſunt. Sed nimius ſim, ac me ipſum nimium morer, ſi quæ ille ab re citat, recenſere omnia velim. ad Lipſium. n. propero, in quẽ iſte audacter ſatis inſurgit, dum* Claudium *Tiberium Neronem nõ bene Caldium Biberium Meronẽ ait per agnominationem vocitatum, ſi non merũ, ſed, vt vult Lipſius, mixtum bibiſſet vinum. Itàne? at Lipſius e contrario dicet, non bene illum nuncupatum* Caldium, *niſi calido (quod tu negas) eſſet potu delectatus. Non nego, ait; immo calidum & ego fateor fuiſſe Tiberij potum, quatenus ſcilicet merum erat, quo vehementer incaleſcunt ebrij. Vix credo hunc adhuc ignorare quid ſignificet Latinis* bibere calidum. *non enim potentia, ſed actu, calidum. merum autem ſola plerũq; potentia calidũ eſt. Quod ſi verũ, ergo det ipſe nobis thermopotaſſe Tiberium. det hoc ipſe nobis, inquam, libens. nam & libentes ei nos dabimus mero ſæpe eundẽ eſſe vſum, nec nobis tamen cõtradicemus. potuit quippe ille & vinum calida mixtum libenter bibere, & meracũ etiã ſæpe potare, ſed calefactũ. licebit enim Tiberio per* Lipſium *vinoſo eſſe, ac merobibo, cum Lipſii ſcopus ſit præcipuus oſtendere non tam aut abſtemium, aut mixtipotorem, aut meribulũ, quam thermopotorem, fuiſſe*

Tiberium.

Tiberium. Sed quid ſi vinoſum etiã dici potuiſſe Tiberium oſtẽ lero, atq; ebrioſum etſi mixto vteretur? en tibi: Dio libro 57. temulentiã Druſi ex eo nobis indicat, quod cum nocte quadã ſuccurrere conflagrantibus quibuſdã, & aquam petentibus cogeretur, ipſe calidam quod ea delectaretur in conuiuijs, infundi iuſſit. ergo calida vinum miſcebat, ac nihilominus μέθη κατακορὴς, *hoc eſt, ebrioſus, audit. Sed hic idẽ cenſor Lipſium alio loco reprehendens, propoſitionem quãdã affert catholicam, aut certe tamquam catholicam, dum* τὸ *aquam tepeſcere, ait non eſſe eam refrigerari, ſed calefieri. At ego credo Lipſiũ credere quod ego neminem fere non credere credo, cùm tepida aqua inter bene calidam, frigidamque interiecta ſit, & hunc medium ſtatum conſequi poßit ab vtrouis extremo deſciſcẽs, tepeſcentem non ſolum vocari eam, quæ cum frigeret antea, paullatim incaleſcat, ſed & eam, quæ cũ ferueret antea, paullatim refrigeſcat. Quod ſi ipſe aliter ſentit, at non aliter ſentit Plinius, qui de Offilio loquens Hilaro, tepeſcere potionẽ dixit, pro paullatim frigeſcere. Sed iã Lipſio omiſſo, auctori libelli de calido potu ſuppetias eamus, ad quem iſte tela conuertẽs ait :* Mirari ſatis non poſſum, qui fiat, vt quidam ſibi perſuaſerint feruẽtem aquam vino mixtam vel media æſtate potare ſalubrius eſſe, &c. *At fortaſſe id non mirentur philoſophorum, ac medicorum præſtantiſſimi. nam proletarios nihil moror. Sed ego non admirationes ab eo exquirebam, neque obſtupefactiones. quid ergo? aduerſas rationes ad hoc dogma conuellendum, vel ſolutiones illarum, quibus id confirmatur. alioqui vel eas non legiſſe, vel ſoluere non potuiſſe dicam. Quod vero ad illud alterum attinet, dum ait, mirari ſe etiam ſatis non poſſe qui fieri queat, vt feruens aqua vino mixta ſit frigida* iucundior, *profecto cùm id ipſe viuis nobis ſatis ſuperq; expertis nolit tamen credere, ad orcũ (liceat enim iocari) ablegandus eſt, vbi veteres thermopotas de ea re percontetur; niſi malit, quo illud iter cõpendifaciat, Appionem illum imitari grãmaticum, qui vmbras euocaſſe dicitur ad percotandum Homerum qua patria, quibusq; parentibus natus eſſet. Quid enim huic homini facias? qui adeo eſt pertinax, vt* numquã ſibi perſuaſum iri *dicat* fuiſſe priſcis aliud palatum atque nobis eſt. *Quod tamen ſi ſedulo ipſe dicit, ſatis profecto oſtendit ſe aut non legiſse, aut nõ obſeruaſſe, aut obſeruatũ de veteribus ab alijs non didiciſſe, vt doctiſsimi cuiuſdã verbis vtar,* multa ijs in delicijs fuiſſe, quæ noſtri nõ ſint ſtomachi. *Neq; hoc ſolũ, ſed, niſi ego fallor, illud etiam oſtendit, nolle ſe prorſus calida potione vſos eſſe veteres, (ſiquidẽ tot auctoritates in contrarium allatas diſsimulat, vna, aut altera excepta, quam ad rẽ noſtram minime facere profitetur) præſertim cum Tiberium calido potu vſum, cauilloſe neget; adde & cũ loca veterum de gelido potu, tanto cum ſudore congerat; nam*

hic fortaſſe perſuaſit ſibi fieri non poſſe, vt eodē ſeculo duobus contrariis potibus vterentur. An verò negat tantummodo, calidū potum in deliciis fuiſſe? namque ait alicubi, delicatos non calidam, ſed frigidam adamaſſe. an potius negat calido potu vſos æſtate, tantum? nam, vt obſeruaui, ita ſe in hac contentione gerit, vt diligenter accuret ne ſibi effugium deſit, & veluti aſylū, quo ſe recipiat, & ſi id ne quidquā curat, ego enim vias omnes occludā, ne aliqua elabi poſsit. Quippe probaturus hic ſum, potum calidum, & in frequentiſſimo vſu, & in deliciis, & quidem non hieme ſolum, ſed æſtate ipſa, fuiſse, nouis etiā, hoc eſt, numquā antea (quod ſciā) ad hanc rē firmandā veterum auctorum teſtimoniis accerſitis. Vſum igitur eius vulgatiſſimū fuiſse, vel hinc patet, quod tū in catalogis dictionū quarundam, quæ eiuſdē ſunt argumenti, tum in puerilibus colloquiis Græcolatinis, & Latinogræcis, quæ omnia in Gloſſariis veteribus non ita pridem editis leguntur, in quibus non niſi obuia, & peruulgata recenſentur, non vno, aut altero, ſed pluribus locis, hunc morem legas: vt in capite de potionibus columna 263. DE POTIONIBVS: Potio, vinum, vetus, muſtus, ruſticus, bibiſti, calidum, feruentem, frigidum, tepidum, merum, aquatum, temperatum, dulcem, ſuccidum, &c. & ITERVM DE POTIONE. Potio, bibere, aquam, frigidam, recentem, temperatam, feruentē, vinū, vetus, merū, &c. Et colloquio. 1. col. 285. Reuerſis nobis, rogaui miſcere. miſce mihi. miſceo, calidum, tepidum, frigidum, recens, feruens, temperatū, vinum, &c. Colloquio autem vltimo per Vulcanium edito: Laua calicem, aqua calida miſce. valde enim ſitio. & paullo poſt: Tu quid vis? laua calicē. miſce mihi calidum, non feruens, neque tepidū, ſed temperatum. Infra quoque: Recentem da fialam. da merum. miſce calidum, plus, minus. Hunc vero potum in deliciis fuiſse, cum e compluſculis veterum locis a Lipſio, & auctore libelli de calido potu citatis patet, tum ex eo, quem poſtremū citabimus, liquebit, vbi notabis ab adoleſcentibus ipſis, & quidem dū amori dant operam, vſurpari. Aeſtate autem, nedum hieme, placuiſse, & in vſu fuiſse, nunc diſcat licet: Apuleius enim Fotidem ſuam narrat ſibi calida miſcuiſse, ineunte iam æſtate, ſiquidem roſæ tum vigebant, & flores: Et ecce (ait ille) Fotis mea iam domina cubitum reddita, iacta proximat roſa ſerta, & roſa ſoluta in ſinu tuberante. ac me preſsim oſculato, & corollis reuincto, ac flore proſperſo, arripit poculum, ac deſuper aqua calida iniecta porrigit bibam. Idem factum æſtate prouecta, ac ſeneſcente nos docet Ariſtænetus epiſtolarum primo, ep. 3. cuius locum pulcherrimum Latine ita verſum, cognoſcere erit operæ (Argumentum autē epiſtolæ eſt Meretrix, & adoleſcens ſub arbore mutuis deliciis fruentes)

Ibi

Ibi(*ait*) platanus erat denſa ramis, opaca vmbra, aura modica, herba mollis, quæ tempeſtate æſtiua florere ſolet. *poſtea vuarum meminit, quæ tum aut acerbæ erant, aut adhuc florentes. ſubditque.* Aquilex feſtinus areis, atque arboribus ligone inducebat aquam e longinquo riuulo. Immiſit autem in eum canalem famulus potionis eximiæ plenas fialas, quæ ſecundo fluctu ferrentur breui inter ſe interuallo diſtinctæ. ſingula autem pocula in morem nauicularum pereleganter natantia rectum gerebant medicæ arboris folium, quod vicem exhibebat velorum, rectũ curſum tenentibus fialis. quæ ſuopte ingenio lenta, ac trãquilla aura gubernatæ tamquam naues cito puppim inflante vento, cũ dulciſsimis oneribus ad conuiuas appellebant rectà. tranſeuntes enim quiſque calices apprehendens manu, ebibebamus, æqualiter omnes, & modice mixtos. nã de induſtria prudens pincerna tanto calidiùs iuſto vinum feruenti lympha temperauerat, quãtum frigidiſsimi tubuli rigor totum refrigerare poſſet poculum, ita vt nimio ſolũ calore per aquæ frigus imminuto, maneret mixtum iuſto tẽperamine. *Quæ quidem poſtrema verba (vt hoc obiter dicatur) mirè congruũt cum verbis illis e gloſſarijs veteribus ſuperius deſcriptis*: miſce mihi calidum non feruens, nec tepidum, ſed temperatum. *Satin videor noſtram probaſse, ac firmaſse hypotheſin? tibi profecto ſatis. Sed & ſatis Hypercritico illi videar. cui ſi non ſatis, ad agnatos & gentiles erit ipſe deducendus. Tu vero ſi nondum Lipſii epiſtolam ad auctorem libri de calido potu ſcriptam vidiſti, in qua grauiter, & lepide, vt ſolet, contemni iubet eos, qui noſtra hæc non admittunt, en mitto, vt legas. In ea cùm Philonis afferatur auctoritas, laudetur Ammianus, laudetur Arrianus, quorum loca ad calidi potus vſum pertinentia in libello de calido potu minime deſiderantur, quem tamen ſibi olim lectum, & probatum fatetur* Lipſius, *intelligere licet, oblitum eum, cùm epiſtolam hanc ſcriberet, ea inibi legiſſe. nec mirum. quando qui multa legerit, eum multa ẽt obliuiſci neceſſe eſt. Habes meũ de vnico ſaltem capite indicium. quod a me eironia illa expreſsit tua. & ſi iudicandi vim te domi habere non vulgarem ſciebam, nec eſse tibi quærendam foris. Vale.* kal. Ian. CIↃ IↃ CVI.

Tibi addictiſſimus

Pierus Caſſianus.

SV-

Eximio, & Clariſsimo Viro, D. Antonio Perſio Theologo, &c.

I. Lipſius S. D.

Beniuolentiam tuã veterem erga me, quam nũc deniq; litteris teſtaris & aperis, ſum amplexus equidẽ, vt debeo & ſoleo taliũ virorũ, quibus votum & ſtudium eſt me probare. Noui te iã-diu de fama, & nomine. etiã ſcripta tua quæ-dã vidi, in quibus (etſi grauiora ſtudia te vindicant) amorem & ſcientiã profiteris humaniorum iſtarum, id eſt veterum, lit terarum. Nec ab alio fonte amor iſte tuus in nos dimanat, qui videmur tibi in hoc genere ſupra plebẽ litterionum ali-quid eſſe. Conati ſumus. de ſucceſſu hæc, aut ſequens ætas iu dicabit. Quod autem ſcribis eſſe, qui tuum illud de Calidæ potu ſyntagma (mihi lectum olim & probatum) impugnant: non miror, vt cacoëthes eſt huius æui, pæne dicam vnici ad æmulationes, aut pugnas. Miror tamen in re tam clara & te-ſtata poſſe obduci, quod vel apud improbos colorem habeat veritatis. Præter ea, quæ ego in Electis notaui, multa ſunt quæ ad inferius vſq; æuum manſiſſe morem euincunt: atque etiã apud exteras, & longinquiores gentes. De Eſſæis in Philone Iudæo legas: *Vinum per illos dies non præbetur, ſed aqua limpidiſsima, alijs quidem frigida,* calida autem his, qui inter ſeniores delicatius habentur.** θερμὸν δὲ τῶν πρεσβυτάτων τοῖς ἁβροδιαίτοις. Et vides in delicijs fuiſſe, & tenuioris fili, aut valetudinis hominibus propinatam. Quid autem? *Decoctam*, vt aiunt tui quidam refragatores? Ridiculum. & vete-res probè hanc diſtinguere norant, & eſt ea inuenti recen-tioris. In Ammiano, Arriano, alijs, exempla alia ſunt: pudeat adducere, & in bacelos iſtos acrius pugnare. Habes meum ſenſum: habe & amorem, quẽ fideliter tuo repono. Louanij poſtrid. Kal. Nouembr. ∞ IↃ. CIII.

Fr. Sanctes Arimin. Aug. Reuiſor.

Imprimatur.
Vicar. Inquiſit. Bonon.

ILLVSTRISS. ET. REVERENDISS.

DOMINO

D. PETRO VALERIO S.R.E. CARDINALI

EPISCOPO PATAVINO

QVod iam aliquot abhinc annos facio, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, Anno Iubileo feci paullò ſolenniùs, vt DIVI PAVLLINI, Antiſtitis ſanctiſſimi, Natalem verſibus celebrarem. Sic enim decebat feliciſſimo tempore, cùm Sacra omnia lætiorem faciem inducerent, Muſas quoque noſtras ſolitò comptiores ad decantandum ſuum PAVLLINVM venire. Suum, inquam, olim: id eſt, verum Apollinis ac Muſarum delicium; mox, ijs abdicatis, exactiſſimum Chriſtianę Virtutis ac Sapientiæ exemplum. Meritò certè id officij PAVLLINO tribuerunt, cuius ipſe inſtitutum, etiam ſub auſteriore viuendi norma poſitus, conſtanter obſeruauit. Quotannis enim die DIVO FELICI, MARTYRI NOLANO, ſacra Poëticum ipſi Pietatis ſuæ penſum perſoluit: ea-

tamen verborum religione ac circumſpectu, vt nihil niſi ſanctum ac pium ſeueriſſimi eius verſus contineant. Superant adhuc aliqua eius Induſtriæ ac Pietatis monimenta: cætera temporum nobis iniuria, cum reliquis præclariſſimi hominis operibus, inuidit. Quamquam & ipſum, ſancta animi obfirmatione, in fœtus proprios ſæuire ſolitum accepimus: ſiue latendi ſtudio, ſeu profanæ Litteraturæ, poſtquam CHRISTVM toto hauſit pectore, faſtidio ac contemptu. Ego quædam paullò liberiùs ex illius myrothecijs in carmina noſtra transfudi, cùm & viri paſſim religioſiſſimi ſic faciant; nihilque tam politum aut venuſtum Antiquitas habeat, quod non ad DEVM, DIVOSQVE noſtros translatum, ſine vlla piorum offenſione, legatur. Intacta adhuc erat noſtris hominibus Lyrodia Pindarica: eam quoque, velut iniuſtis poſſeſſoribus ereptam, in Sacraria noſtra intulimus. Cuius pulcerrimi inuenti laudem ſolus ſibi vendicat quē hodie Sacerdotij Maieſtate primum, Eruditione Elegantiaque maximum, Orbis vniuerſus admiratur ac colit. Teruntur, habenturque in manibus, DD. LAVRENTII, LVDOVICI & MARIAE-MAGDALENAE auguſtiſſimi Triumphi; qui quantum auctori ſuo laudis adijciunt ac gloriæ, tantam alijs imitandi inijciunt formidinem, & ſacro quodam deſperationis horrore percellunt. Optaſſem profectò D. PAVLLINO noſtro tam ſublimem fidicinem, aut vires nobis tanto conatui non impares: ſed quemadmodum Eleuſinia non aſpiciunt niſi initiati; ita ad Pindarica mella nemo facilè perueniet, niſi ipſis Gratiarum manibus, velut in Hymetto, conformatus. Cæleſtibus itaque APIBVS hanc prouinciam relinquo; ego (quod mearum fuit virium) Heroicos Alcaïcoſque numeros SANCTISSIMO HEROI AC VATI non

 illibenter

illibenter perſolui. Ij nunc ad Te confugiunt, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, Benignitatis Tuæ conſcij & vulgatæ Pietatis. Illa verſiculos tuebere proiectos, ſubitaneos, & fortaſsè inconditos; hac PAVLLINVM recipies vt Epiſcopum, Epiſcopus; eruditum, eruditus. Confidenter hoc dicam, ipſe PAVLLINVS id ſuggerere viſus, quem amo, colo, veneror: & Te amare ac venerari credo, cuius vitam, ſic viuendo, laudabiliter imitaris. Spem ergo conceperunt quam PAVLLINVS inſpirauit. Tu, ANTIQVE ROMANORVM SANGVIS, Romano Conſulari faue; magnumque AVGVSTINVM, gentilem Tuum, in Sacra illa Purpura diu nobis repræſenta.

ROMAE. *Idib. Quinctil.* CIƆ. IƆC. XXVI

AD

TABVLÆ.

MARTYROLOGI. ROMANI

Ex . a . d . x . Kal. Iulias ,

APud NOLAM , *Campaniæ urbem* , *Natalis* BEATI PAVLLINI, *Epiſcopi & Confeſſoris, qui ex nobiliſſimo, & opulentisſimo, factus eſt pro* CHRISTO *pauper* , *& humilis : & , quod ſupererat, ſeipſum pro redimendo viduæ filio captiuo, quem Vandali Campania deuaſtata in Africam abduxerant, in ſeruitutem dedit* . *Claruit autem non ſolùm eruditione , & copioſa vitæ ſanctitate ; ſed etiam potentia aduerſus dæmones : cuius præclaras laudes* S S. AMBROSIVS, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, & GREGORIVS *ſcriptis ſuis celebrarunt . Eius corpus* R O M A M *translatum in Eccleſia* S. BARTHOLOMAEI IN INSVLA , *vnà cum corpore eiuſdem Apoſtoli, honorificè adſeruatur* .

AD

AD SANCTISS. PRAESVLEM
D. PAVLLINVM
NOLAE EPISC
Epigramma
LAMBERTI. VOSSII

QVA-nunc-cunque poli mortalia deſpicis arce,
O Pater, Heſperiæ maxime gentis honos,
Reſpice flauentem Romani TIBRIDIS amnem,
Inclyta quà tumidas Inſula findit aquas:
Hic tibi ſacrifico fumant altaria thure,
Supplicat & cineri Martia ROMA tuo:
Fæmina virque pias vnà voluuntur ad aras,
Fundit, & ardentes plurima turba preces.
Eſt quoque Belgarum longinquis aduena ab oris
RIQVIVS, ante alios, qui Tua ſacra colit.
Hic tibi ſolennes, ſolenni tempore, verſus
Decantat, voti conſcius vſque ſui.
Exemplum hoc, PAVLLINE, tuum eſt: tu nempe quotannis
Hoc quoque ſoluebas annua penſa modo,
Cantabaſque tui ſacros FELICIS honores:
Nunc Pietas iuſtas accipit illa vices.
In caput auctoris cuncta, vt malefacta redundant,
Auctorem repetunt ſic benefacta ſuum.

VERBA
D. PAVLLINI
EPISC. NOLANI
Epiſtola. XXIX. ad. APRVM

S*Ibi babeant litteras ſuas Oratores, ſibi ſapientiam ſuam Philoſophi, ſibi diuitias ſuas diuites, ſibi regna ſua Reges: nobis gloria, & poſſeſsio, & Regnum* CHRISTVS *eſt: nobis Sapientia in ſtultitia prædicationis, nobis virtus in infirmitate carnis, nobis gloria in* CRVCIS *ſcandalo.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CARMEN VOTIVVM DIVO PAVLLINO NOLANO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HOſpes ab extremis Belgarum finibus, aras
Aduenio, PAVLLINE, tuas, quas Dardana rerum
Conſtituit Regina caput, populiſq; colendas
Exhibet, & tanto iam ſe metitur alumno.
Non ego tam fuluo laquearia craſſa metallo,
Marmoreoſque tholos, Auguſtaleſque paratus,
Saxaque, Phlegræos quæ dedecuiſſe lacertos
Haud poterant, viſurus adij; quàm pignora DIVVM
Romuleis aptata locis: quàm caſta ſepulcra
CLAVIGERI ſenis, & Diuinæ interpretis auræ
THARSIADAE, cinereſque tuos NOLANE Sacerdos.
Eſt locus Vrbe ſacer media, quò Lydius amnis,
Serranis intortus aquis, impellit, & vndas
Miratur nil poſſe ſuas. Si priſca monentem
Vrgemus famam, primæ venerabilis illhic
Libertatis honos: nam Regibus illa fugatis
Inſula Tarquinias meſſes, ſegetemque nefandam,
Compoſuit, tumuloque graues aggeſſit arenas.
Talis in Ortygio (ſi vera eſt fabula) Ponto
Errantes potuit terras Natura profundis
Commendare fretis, ſaxiſque affigere Delon.
Olim marmoreæ laterum compage carinæ

Effingit ſpeciem, nec Diuum ſedibus vſquam
Tota vacat: viſa eſt tum relligionibus apta.
Ergo Lycaonij templum Iouis, atque colubri
Culmina Phœbigenæ ritu indignata vetuſto eſt;
BARTOLEMAEAEAE ſed poſtquam ſuſtinet vrnæ
Pondera, PAVLLINOSQVE ſitos, purgatior obſtat
Fluctibus, & ſanctos iam non mentitur honores.
Fortunate error, tanto qui mœnia ditas
Romula depoſito, Tiberinaque flumina ſtellis
Inſeris, Eridano non dedignante priorem!
Vix aliter potuit biſſeni rara Senatus
Gloria, non aliter potuit PAVLLINVS haberi.
Illum ſiderei pandentem myſtica Verbi
Gentibus innumeris, quas matutinus Eoo
Sidere Phœbus adit, fuſco gens Mennone creta
Suſpexit, Parthique truces, extremaque rerum
India: at hunc puris Oenotria dedicat aris,
PAVLLINVM, NOLAE columen, magnæq; Quiritem
Stirpis, quo Latij tumuerunt Conſule Faſti.
Mox poſitis regni exuuijs per opaca latentem
Heſperiæ nemora, & tacitarum luſtra ferarum,
Coniuge cum caſta. Quis tum tibi ſenſus amico,
AVSONIE, amiſſo? quantis heu! fletibus illum
Vrgebas, vanè miſerans, vt ſaxa Pyrenes
Horrida Pieria mutaret Phocide, & iſtas,
Quas coluit, ſiluas cum lauriferi Aonis vmbris,
Bellerophontæi cauſſatus ſemina morbi?
At ſacrata Deo felicia pectora ſtultas
Irriſere preces: Phœbo Muſiſque negatur
Quæ CHRISTO mens tota patet. Quis conferat horti
Finibus exigui contentum *Epicuron*, & vmbras
Aegerię vallis, Pandionijque receſſus?

Quis

Quis Libycos vates nemoroſa ſede latentes;
Aeſtibus in medijs? non hic oracula cæcas
Nexa per ambages,non ſomnia vana, Sophoſque
Ambiguum ;at ſuperis demiſſus ab arcibus ignis
Perpetuo mentem vero, & conſtantis honeſti
Inflammat radijs, dioque accendit amore.
Non aliter (nec vana fides) Mareotide ſilua,
Alite ab ætherio paſtus, renouauit honores
Thesbiacos PAVLLVS, magnumque inſtaurat ELIAM.
Ac veluti, radio iam ſub maiore videndus,
Quem paullùm terris nebuloſa inuiderat vmbra,
Nubibus è medijs oſtenditur auricomus Sol;
Et totum roſeo colluſtrat lumine olympum;
Sic populi lucis raptum ſapientibus, atque
Multa renitentem, placitæque vmbracula vitæ
Nequicquam ardentem,NOLANAE ſedibus arcis
Delegere Patrem. Non ſic per deuia rura
Mænalius tenerum paſtor tutatur ouile,
Seu luſtris Erimanthe tuis, ſeu rupibus alti
Stymphali, pauidumque feris immanibus arcet;
Nuſquam oculo amittens fido: quàm perpete cura
Dilectum ſeruare gregem, PAVLLINE, laboras.
Te Stygij tremuere Lupi, te lucibus arduo
Inſtantem, te nocte operi, vigilique tuentem
Omniâ præſidio, horriſoni tremuere Leones
Tænarię ſedis. Nec tam vigilantia miror
Lumina, ſollicitaſque preces, & Numen amicis
Placatum populis; quàm (quæ tua maxima virtus)
Munificas largo ære manus: quàm prædia, cenſus,
Attalicas veſtes, auri, argentique, talenta
Diſpenſata viris, quos vel mala turpiter vrget
Eſuries: quos fænus edax, quos durus acerbat

Creditor, & multa numeroſi prole penates.
Ecquid Erechtæum nobis nunc, Fama, SOLONEM
Obijcis, addictis numerantem ciuibus æra
Largiter, aut Latios, Aſiatica terra, LVCVLLOS?
Maior venit honos: donec pia ROMA, poluſque
Stabit, & æquorea tellus pulſabitur vnda;
Semper honos, PAVLLINE, tuus, laudeſque manebunt.
Et tamen hæc poterant minùs admiranda videri,
Si fuerint collata tibi: Quænam illa voluntas
Pectoris egregij, cùm deficiente metallo,
Regifico & cenſu, pro charo ergaſtula ciue
Formidanda ſubis? Sciuit peregrina tremiſcens
Sceptra ferox Libye, quæ te (quis credere poſſet?)
Compedibus ſeruire grauem, duroque ligone
Iugera findentem dominis conſpexit in hortis.
Felices horti, felicia iugera, tali
Delaſſata manu, queis vos ego laudibus ornem?
Vobis Mopſopij fruſtra certarit Hymetti
Gloria, ſiue aura ſparſi Zephyritide campi
Vertice in Idalio: aut Phæacum ditia rura
Dulichio calcata ſeni, Campanaue tellus,
Aut Lacedæmonio regio poſſeſſa Phalanto.
I nunc, Latonæ ſobolem fer Græcia mendax
Admeti pauiſſe gregem, cùm Cynthia fratre
Erubuit viſo: vel qui Tirynthia membra
Incingant nexus pollutis ſanguine muris
Anguigenæ populi: PAVLLINVM crimina nulla
Exagitant, nullæ torquent ſub pectore diræ;
Sed diæ Pietatis amor, populique regendi
Cura vigil, ſanctos ſtimulant adijſſe labores.
Nec tamen indignos longùm tolerare labores
Diuorum voluit genitor, quin barbaricus Rex

Iam

Iam notum venerans (nocturnaque viſa monebant)
Magnificis auctum donis, & pube ſoluta
Fertilis Auſoniæ, patrias dimittit in oras.
Quę fuit illa dies, cùm te pro litore ſtantes
Auſonij feſta reducem adſpexere carina?
Cùm pauidæ matres natos, natique parentes
Amiſſos, ſociumque thori lætiſſima coniux
Accepit, pridem quos triſtia vincla coërcent?
It cælo clamorque virum, plauſuque frementis
Lætitiæ ſcopuli & Campana remugijt vnda.
Tunc dulces paſſim amplexus, paſſim oſcula, & vdis
Lumina preſſa genis, hilari manantia fletu.
Nec ſatis eſt preſſiſſe ſemel; iuuat vſque reuerti,
Et notos ruere in vultus, Superumque benignam
Explorare fidem: PAVLLINVM litora tota,
PAVLLINVM maria atque vrbes & rura loquuntur.
Quanta tuę NOLAE tum gaudia, Magne Sacerdos!
Quàm timuit vinci, dum moenia cuncta Parentem
Agnoſcunt, certatque tuo locus omnis honori?
Cognouit tamen illa ſuum, & conſtantiaſ ancti
Pectoris officia propiori amplexa fauore eſt.
Talis ab Elææ rediens certamine palmæ
(Si minùs alta iuuant) apio præcinctus amaro
Grande caput, glaucaue comam redimitus oliua,
Cognato excipitur plauſu, perque oppida, perque
Celſior it populos, curru ſpectabilis aureo,
Albijugus, tantumque capit vix patria ciuem.
Sed quò Calliope tendis? decurrere totum
An plectris Heroa velis, ſicque ire per omnem
PAVLLINVM? quin, Muſa, caue: malè credula cymbæ
Ibis in æquorei ſtagnantia dorſa profundi;
Imbellique petes Hyperionis aſtra volatu.

Et

Et, duce te, quædam cantata prioribus annis
Dum lux ſancta redit, maiorque ſequentibus inſtat
PAVLLINVS: nonnulla ſuis dicentur in annis,
Si liceat; reuireſcit honos, laudandaque virtus,
Et nihil è tanto laudum decreſcit aceruo.
Te potiùs fidibus ſpretis Diuine precabor,
Antiſtes, Stygij mentem quæ vincula ſtringunt
Seruitij, & dura miſeram ſub compede verſant,
Diſrumpas placidè, Libyca ceu noſceris arce
Concaptiuorum patrios ſoluiſſe maniplos.
Scilicet hoc veteris Myſteria ſacra IOBELI,
CHRISTIGENVM populo Magnum repetēda ſub Annū,
Adſpirare iubent: iubet hoc tua ſancta voluntas
Fidere, & immenſum Pietas teſtata per orbem.
CHRISTIGENAS etiam populos, quos triſtia rerum
Diſcidia, & belli vexat furialis Enyo,
VRBANI auſpicijs, tuta in ſtatione reponas,
Aurea pacato reuocentur vt otia Mundo:
Criminaque, & ſontes, bellorum ſemina, cauſſæ,
Et maleſuada odia, atque vllum ſufferre priorem
Indocilis faſtus, felicia regna relinquant.
Tunc tumulis ſeſe veſtris Euandria ROMA
Lętior adfundet, ciuemque in vota vocabit
Promptiùs, & cunctis libamina porriget aris.
Tunc tibi, quas CHRISTO innocuas ſeruire Camoenas
Iuſſiſti, caſtam violam, & pallentia ſerta
Frondis Hyantææ, niueis intexta liguſtris,
Dona ferent: ſemperque tuo chelys aurea Templo,
Semper Echionij reſonabunt carmina plectri.

Scripſi Romæ X. Kal. Quinctil. Natali Paulliniano,
Anno Iubileo CIↃ.IↃC.XXV.

ODE. ALCAICA
EIDEM
DIVO · PAVLLINO
SACRA.

O DIVE, Faſtis addite Romulis,
Seu te beatarum ardua mentium
Fouere regna, ſeu laborant
Sidereæ recreare moles:
Quacunque cælo lucidus excubas,
Tuamque curas Heſperiam, Pater,
Nec ignibus cedens gemelli
Caſtoris, aut iubari Latino
Non incruenti Cæſaris; aſpice
Mundi labantis prælia, & vndique
Horrentibus fœtam maniplis
Auſoniam, ſociaſque gentes.
Illhinc paludis triſte Acherontiæ
Monſtrum flagello ſçuit in aſpero
Eris nefanda, concitaſque
Eumenidum furias nocenti
Reportat orbi. nec leuius malum
Sæua inde peſtis per populos meat;
Diuina cui famem maritans
Terribilem Nemeſis, minatur
Extrema cunctis. Non ita naufrago
Coros ſonantes intimuit freto,
Hædique ſurgentis procellas
Carpathia Palinurus vnda;
Formido quanta heu! gentibus incubans
Offenſi adurget Numinis, & ſcelus

Nefaſque

Nefaſque communi piandum
Supplicio, meritæque diræ.
Tu, DIVE, rerum ſpes pereuntium,
Sontique numquam difficilis gregi,
Succurre mundo, debitamque
Criminibus Nemeſin coërce.
Quin fulminantem ſuſtineas manum
DEI imminentis: iam ſcelerum pudet,
Turpiſque ſæcli: iam calentes
Luce tua reparamus aras:
Cultuſque ROMA duplicat, & Parens
Conſcientiarum vincula diſijcit
VRBANVS, ad ſacrum volutis
Florifero cinerem ſacello.
Ipſe, indecoro puluere ſordidus,
Libabo caſtis oſcula poſtibus,
Humique diffuſus precabor
Flagitijs veniam pudendis:
Orabo mentem corpore in integro
Dehinc integellam, cum facili chely:
Non vſque mendacem paratus
Anguigenum memorare pugnam,
Phlegræque campos, & pauidum Iouem:
Sed NAZARENAE quę ſoboles Heræ
Geſſit per orbem, quæ ſecuti
Nazareum iuuenes Triumphum:
Pæane læto dicere te iuuet,
PAVLLINE, lætam: demptaque barbaro
Captiua de Regis Gradiuo
Seruitia, innocuamque palmam.

Scripſi Romæ X. *Kal. Quinctil.*
CIↃ. IↃC. XXVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE